Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2961
Quelle:
Copyright:



*Hie hab ein end die ler lankch*
*Von dem ewangely wort vnd anfankch*
*Maria Muter vnd auch maid*
*Dise ler sey dir gesait*
*Die mit fleizz ist uollendt worden*
*Von Maister* Fridrichen *in deinen Orden*
*Des ordens der* charmeliten
*Irr* (Er?) *begert got zepiten*
*Fur in alle gotes chind*
*Die in tugendleichn lebn sind*
*Von gotleichem trost vnd gedingen*
*Mues vns hie vnd dort gelingen.*

An porro *Fridericus* iste, cujus nullam in *Bibliotheca Carmelitana* mentionem fieri video, quem vero *Fridericum Wagny* Doct. *Vienn.* et *Carmelitarum* in *Austria* et per *Alemaniam* superiorem Prouincialem a *Gesnero* in *Bibl.* memoratum puto, totius operis autor fuerit, cum ignaris scio. Claruisse illum circa an. 1390. *Gesnerus* addit. *Austriacae* hujus aevi dialecti Studiosi non inutiliter Codicem hunc adibunt. Festum Epiphaniae in eo dicitur *der obriste* sive *der Prehemtag*, quod notius. Festum Circumcisionis *der Ewenweichtag*, quasi dicas, *eben* aeque *weih* sacer, ut dies Nativitatis, a quo octavus est. Adi *Scherzii Glossarium* T. I. p. 268. uti et de voce *Taugen*, qua Noster Apocalypsin adpellat, a *Taugen* Mysteria s. Secreta. T. II. p. 1625. et 1651.

## DCCCXXIII.

159 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 26. f. inscriptus est: *Divina Missa Sancti Joannis Chrisostomi.* Praefatio sic incipit: *Omnibus Christianam Religionem ac orthodoxam fidem stabili proposito colentibus felicitatem. Quanta sint, religiosi Viri, clementissimi dei quę in genus humanum contulit, beneficia* &c. Tota haec *Praefatio* una cum Textu *Missae* descripta est ex Editione Graecolatina *Veneta* 1528. 4. quae sumtu et expensis *Demetrii Zini Zacynthii* et *Menandri Nuntii Corcyraei* per Fratres *de Sabio* prodiit ad Exemplar graecum impressum *Romae* cura *Demetrii Ducae* Rhetoris agentibus Archiepiscopo *Cypri*, et *Rhodio* Metropolite 1526. 4. Multum a nostro Textu abeunt Versiones *Leonis Tusci*, et, quam quidam in dubium trahere conantur, *Erasmi Roterod.* simul emissae *Colmariae* 1540. 4. a *Joh. Hofmeistero* Augustiniano, sed nostrum adoptavit doctissimus *Jac. Goar* O. P. in *Euchologio Graecorum Paris.* 1647. p. 58. f. Futilia sunt, quae congerit *Cas. Oudinus* T. I. *col.* 722. ad hanc Liturgiam